

~~5888~~  
K  
BLOGIUM

FIDELISSIMO  
REGI NOSTRO  
JOSEPHO PRIMO,  
FELICI, INVICTO, PIO, AUGUSTO,  
IN SUA AUSPICATISSIMA  
EQUESTRIS STATUÆ  
INAUGURATIONE,  
SUORUM NATALIUM  
CELEBRATIONE  
ERIGENDÆ.

L. 32061

Conf

F. 13. 7



L 3206



## ELOGIUM



UOD jam dudum precatus sum a Deo immortali;  
 Id nos hodiè tandem,  
 Cum publicæ felicitatis authoramento,  
 Cum ubere Tuarum gloriarum messe,  
 Cum incomparabili votorum nostrorum fœnore  
 Confecutos esse,  
 Conjuratis omnium gaudiis, gratulamur.  
 Dictus est tandem  
 Honori, & Inaugurationi Tuæ dies Junii sextus,  
 In quo Tua Natalia faustissime celebrantur,  
 REX AUGUSTISSIME.

Quis aptus magis?  
 Quis magis ominosus?  
 Quis eo die Lusitanæ plausus!  
 Quæ populi adfremetis lætitia!  
 Quæ confluentium Nationum admiratio!  
 Quæ exterorum gaudia!  
 Quæ domesticorum gratulatio?  
 Erant jam dudum

Qui

Statutam olim Augusto Cæsari aram meminissent;  
 Vel ponendorum Tibi monumentorum præfagia decantarent,  
 Vel educendos obeliscos, ut Sefostri,  
 Vel erigendas columnas, ut Trajano,  
 Vel fingendas tabulas, ut Alexandro,  
 Vel flectendos arcus, ut Constantino,  
 Vel exercitandas pyramides, ut Nino,  
 Vel elaborandas Statuas, ut Cæsarum  
 Quamplurimis augurarentur;  
 Cum in Te uno  
 Superstites omnium virtutes adorant;  
 Omnes Te



( 4 )

Patriæ Patrem;

Omnes JOSEPHUM amabilem salutant.

Exorere in diem non perituræ felicitatis,

Ó Cor Europæ,

Ó Regni delictum,

Ó Religionis columna, ó sapientiæ oraculum,

Ó rarum Regum miraculum, ó mortalium omnium desiderium.

Non deplorabimus extinctum Lusitaniæ Solem:

Anteacla, & præsens felicitas aliud à nobis exigit ære perennius

Monimentum.

Nemo adest publici boni studiosus,

Qui

Annorum suorum censum Tibi reddere non gestiât,

Vitæque suæ plurimos demi,

Qui Tuæ adjiciantur.

Nemo denique existit,

Qui cum Te

Vigefimum secundum è Lusitano sanguine Regem numeret,

Non illicò apud animum suum constituat,

Te

Felici Olisiponi jubilæo præparatum.

Quid superest,

Nisi ut Te perpetuò super esse velimus,

REX AUGUSTISSIME?

Accepimus quod precati sumus:

Tenemus quod desideravimus.

Diurnitatem expectationis compensat magnitudo voluptatis.

Vive

Imperantium priorum epilogus,

Futurorum exordium

REX FIDELISSIME;

Et ætatis Tuæ annos non uno sæculorum ambitu circumscribe.

Quoquò pertigeris,

Suspendat admiratione populos præsens gloria;

Quo non pertigeris, fama.

Numinis Providentia jam solem Lusitaniæ fecit inocciduum,

Dum tam solemnem inaugurationem posteris provisit erigendam.

Illa

Olisiponensem Monarchiam,

Humanæ potentiæ apicem,

Tot



Tot Provinciis diffusam, tot gentibus inclytam,  
Tot populis numerosam, tot terrarum, mariumque dominam,  
Oriente, & Occidente,  
Africanis, Americanisque littoribus imperantem,  
Sub pedibus Tuis transcripsit.

Te igitur hodie,  
Effracto Libitinæ jure, immortalem licet intueri.  
Egestas materiæ verborum amplificationes excogitat.

Ubi illius est copia,  
Nuda narratio amplissima est commendatio.  
Narrabo sine eloquentiæ fuce non omnia, in omnibus;  
Sed aliqua, in aliquibus;

Cum tantum materiæ splendorem addis,  
Ut in tam magnifica rerum serie nihil possit humiliter dici.  
Laudabilia Tu facere mavis,

Quam laudari;  
Et utilia dum præstas, plausum non exigis,  
Sola factorum Tuorum honestate contentus.  
Cum sequeris præeuntium Imperantium vestigia,  
Affectus es omnem gloriæ, ac majestatis eruditionem.

Andis oracula,  
Et trahis sapientiam;  
Observas consilia,  
Et excolis prudentiam;  
Spectas religionem, & accenderis pietate;  
Legis decreta, & veneraris justitiam.  
Tu Regum sapientissimus,  
Religiosissimus incolis pietatem;  
Æquissimus justitiam, prudentissimus consilium;  
Exercitatissimus industriam; generosissimus magnanimitatem;  
Liberalissimus munificentiam; benignissimus affabilitatem;  
Lenissimus clementiam; felicissimus gloriam.

Quæ non suscipis,  
Vel ad extirpandos Ethnicæ superstitionis errores;  
Vel ad atterenda hæreticæ pravitate molimina;  
Vel ad tollenda latrociniorum pericula;  
Vel ad suffocanda improbitatis femina;  
Vel ad vindicandam Magistratibus auctoritatem;  
Vel ad comparandam legibus reverentiam;  
Vel ad inducendam pacis tranquillitatem;



Vel ad fulciendam morum ruinam;

Vel ad fundandam Religionis securitatem?

Ab incunabulis ad thronum,

Una semper laus, una semper gloria,

Ipsaque sempiterna.

Tunc temporis

Differebantur ea per Regnum conjuratorum factionibus arma,

Quibus fidem corrumpebat perfidia;

Religionem violabat superstitio;

Pietatem eliminabant scelera;

Sacra profanabat impietas;

Justitiam flectebat avaritia;

Integritatem dehonestabat libido;

Jacebat sapientia, dominabat ignorantia;

Bonorumque omnium spem communis desperatio involvebat.

Tu, & unus,

In turbulentissimis Regni temporibus,

AUGUSTISSIME REX,

Labantem Olympum ingens Atlas ingentioribus animis sustinebas;

Tuaque incredibili constantiâ omnium metus absolvebas.

Sed enim

Sexto tui imperii anno,

Solutam compage,

Vehementi concussione trepidavit terra, comitante igne;

Undequaque ædes vulnus sentierunt;

Ingemuit Olisipo;

Quasi Numinis providentia

Antiquam civitatem, homines, & mores

Ad præsens tempus invitaret.

Tu, & unus

In tantarum rerum ruinâ,

In omni calamitate semper Tuus.

FIDELISSIME JOSEPHE,

In publicum prodidisti,

Et amenâ frontis serenitate omnium lacrimas abstergisti.

Nullum elementum infensum,

Nullum sydus non propitium est illis Principibus,

Qui cum Cœlo æternis amicitiaæ foederibus paciscuntur.

In Te crevit

Naturæ indulgentia, oris affabilitas, affectuum temperies,

Re-



Religionis amor, pietatis studium,  
Morum integritas, generositatis character,  
Munificentiae promptitudo, publicae quietis ambitiosus labor.

Enim vero

Non defuerunt æmuli,  
Quos vel accendebat furor, vel sollicitabat ambitio,  
Vel invitabat gloria, vel incitabat invidia,  
Vel impollebat impietas, vel publicis, privatisque commodis  
Nocendi libido stimulabat.

Quam tyrannidem sustulisti?

Quæ inconfidentium incendia in Reipublicæ,  
Tuique ipsius interitum grassantia non extinxisti?

Vidimus Te,

Coronarum Tuarum discrimina,  
Hostium procellis inundata regna,  
Ad usque mortem minantium,

Non alio vultu,

Quam felices eorundem successus lætâ, hylarique fronte excepisse.

Sed

Pro Tuâ Fidelissimâ Personâ

Vigilavit Numinis providentia,

Cujus unius salute omnium salus continetur:

Rupem tentabant procellæ, Olympum venti.

Quid vero!

Per calcata, in cineres redacta hostium cadavera,  
Ad ingentem ductatus victoriam

Exarmasti Septemtrionem,

Invidiam subegisti, superbiam detronizasti,

Oppressisti audaciam,

Et attoniti Orbis admirationem in tui nominis reverentiam

Coegisti.

Jam nunc recedat, dispareat a nobis

Illa, illa

Gens inimica genti,

Sub nigris velaminibus tantam tyrannidem,

Tantam perfidiam, tantas machinas abscondens:

Illa, illa

Tronum ipsum pervadere affectans,

Zyzaniam seminans, superstitionem transfundens,

Religionis immemor, sæculi pedisequa, & amans;



Linea ad suum punctum semper convergens:

Quam

Cognovisti, suppressisti, proscripsisti,  
 Exterminasti, in nihilum redegisti,  
 Et penitus extinctam, undequaque funditus deperditam,  
 Non sine gentium plausu, non sine universi solatio,  
 Gloriose vidisti.

Tu

Occupato utriusque fortunæ dominio, prosperam tulisti constanter,  
 Adversam fortiter;

Illam in fræna coegisti,

Hanc in obsequia felicitatis;

In rebus turbatis quietus, in convulsis immotus.

Optimus agendorum magister est preteritorum experimentum.

Sed nihil Deo, cujus auspiciis militas, impervium;

Nihil bonæ causæ, quam tuis actionibus profers, inaccessibleum.

Tuâ potestate

Superstitiones ejectæ, sublata altaria,

Confracta idola, extinctæ acerræ;

Revocata in Regnum religio, erecta justitia,

Et legum divinarum observantia est stabilita.

Ferrum transivit in æs,

Æs in argentum, argentum in aurum

Felicissimâ permutatione.

Sed quid postea?

Quæ æraria non exhausti,

Jam extruendis Catholicæ Religionis monumentis;

Jam diruendæ perfidiæ propugnaculis;

Jam seminandis in universâ Lusitaniâ beneficiis;

Jam colligendis exterorum æque, ac domesticorum affectibus?

Tua pietas

Indixit erroribus excidium,

Religioni asseruit auctoritatem,

Templis restituit Altaria, Altaribus veri Sacerdotes,

Sacerdotibus mores, & moribus prototypum.

Tu

Regiâ munificentiam erexisti Universitates, Academias,

Fundasti Seminaria, exornasti Aras,

Dedicasti Basilicas, dotasti Episcopatus,

In totam late Lusitaniæ beneficiis defluxisti.



Sequuntur

Litteræ depuratæ, & ex nihilo detectæ;  
Arma in plausibili tempore semper parata;  
Artes occupatæ;

Omnia genera negotiorum  
Tam mari, quàm terra virentia restituta;  
Et aliæ suum Te vindicem;  
Aliæ assertorem; omnes Patriæ Patrem ingeminant.

Quid dicam

Sacrarum, profanarumque ædium elegantissimas descriptiones,  
Et sumptuosas e veteribus parietinis,  
Et everforum alterius ruinis educatas moles?

Quid

Diffusum propè amplissimum patrimonium,  
Ac Regni ærarium,  
Ut labantis funditus Civitatis ruinam reparares?

Non refero

Qua curâ veteranas Leges,  
Ad recentium morum castigationem erueris?

Non dico

Quanta sollicitudine id egeris,  
Ut quod unum ad servandam in Republicâ æquitatem

Facit quamplurimum,

Jurisprudentiæ studium, in sapientiæ Athenæo hodie floreat:

Quod inde

Continuatâ serie

Habent suos causæ Advocatos, non mere garrulos, & devastatores;  
Tribunalia Judices integros; non impietatis sectarios;  
Curia Consiliarios optimos; non suimet ipsorum tantummodo affectos;  
Civitates Magistratus piissimos; non populorum persecutores;  
Regnum Justitiæ Sacerdotes; non castigatores malignos.

Loquuntur

Hæc sacrosanta Numinis templa;

Hi parietes, hæc delubra.

Quæ Xenodochia, & amplissimas foundationes

Non habent infirmi, pauperes, & peregrini?

Quæ templa academica,

Seminaria, & scholas

Regiis sumptibus æternitati extructa?

Erecta pauperum habitationi ædificia

Pro-



Procerum palatiis certant.

Dicam ne in Te,

FIDELISSIME REX noster,

Revixisse Religionis vindicem Constantinum;

Hypocrisis, hæreseos fulmen Martianum;

Ecclesiæ munimentum Justinianum;

Vespasianum clementia; majestate Carolum;

Theodosium moderatione; felicitate Cæsarem;

Liberalitate Augustum; fortitudine Trajanum?

Singulos singulis, omnibus omnes

Vel excellis, vel adæquas.

Nihil usquam fuit gloriâ sublime,

Famâ venerandum, beneficentiâ amabile, felicitate secundum,  
Magnificentia augustum, majestate excelsum, & potentiâ gloriosum,

Quod

In Tui unius ornamento non confluerit.

Tu

Regiis virtutibus omnium invadis animos,

Omnium occupas affectus,

Omnium tenes amores,

Omnium captivas voluntates.

Nihil adgrederis,

Cujus finem non prospicias:

Nihil prospicis,

Quod non teneas.

Sed quid mirum!

Cum te, tot virtutibus exornatum,

Aspicimus comitatum ab illo Heroe,

Laude dignissimo,

Qui

Habet aliquod meriti spatium,

Quod furentis invidiæ nulla capit mensura;

Quem Parca vetat mori,

MARCHIONE POMBALENSI,

Tuæ Fidelitatis intimo Ministro;

Cujus amor

Semper agit, semper vigilat, semper viget,  
Nunquam timet, nunquam cedit, semper progreditur.

Si heroicorum pandatur arena;

Ille



Generosæ indolis scintillas in gloriosa incendia suscitât :

Si opponenda hostili tempestatî repagula ,

Ille

Exercitûs omne robur suis partitur ordinibus ad victoriâm :

Si objecti difficultatum montes superandi ,

Ille

Omnes in planitiem transmittit :

Si in arduarum rerum adgressu formido invitat animum ,

Ille

Pectori est clypeus , fronti galea , manibus fulmen :

Si, adversa plerumque Heroibus animis, Fortuna cogat nubes in tempestatem,

Grandinet ærumnis, fulminet calamitatibus,

Ille

Insuperabili securitatis clypeo pondus omne sustinet feliciter.

Nullus objicitur labor, quem non adgrediatur ;

Nulla incumbit difficultas, quam non supportet ;

Nullum obviat impedimentum, quod non perfringat ;

Nullus affurgit scopulus, quem non amoliatur ;

Nullum tonat periculum, quod non irrideat ;

Nulla sævit tempestat, quam non tranquillet ;

Nulla opponuntur mœnia, quæ non transcendat ;

Nulli denique armantur in furorem exercitus,

Quos gloriosè non detriumphet.

Quid ergo ?

Pro ! Deus immortalis !

Non egemus prælagio venturi Solis,

Qui Solem ipsum,

Et ipsum semper meridianam intuemur.

Enim vero

Ut publici hujus,

Celeberrimique plausus causas, neque præsens spectator,

Neque posteritas olim secutura ignoret ;

Ita per memores factos

Tua Equestris Statua,

Sub auspiciatissimâ auguratione,

A nobis ad feros Nepotes hodiè transmittitur.

Vive igitur perenniter,

REX amabilissime,

Et Tuos annis Deus augeat è nostris.

Et cum Te perpetuo existente,



Superfite,  
 Et Imperante,  
 Sine metempsychosis fabulâ, fruimur  
 (Non liceret enim eum omnium oculis aliquando eripi,  
 Qui omnium animis semper fertur;)  
 Sub pedibus Tuis  
 Gloriam adnuncians sempiternam,  
 Tingam quod dicas  
 Hoc lemma, ex Tertulliani versibus conceptum:

*Non omnis moriar, multa que pars mei  
 Vi tabit Libitinam usque ego posterâ  
 Crescam laude recens.*

Dixit

*Josephus Antonius de Sepulveda Gomes & Araujus.*

Cir-



( 13 )

*Circa operis constati perfectionem.*

*E P I G R A M M A.*

Fluxit opus, perhibente Deo, Cœloque favente;  
Non aliter fuerat gloria tanta viro.

*In Festo sui Natalitii erigitur.*

*E P I G R A M M A.*

Natalis nunc fausta dies bene prodit; ut Annos  
Æternos numerent Tempora, Fama, Decus.

*Inter vivos subit Inaugurationem.*

*E P I G R A M M A.*

Æternum tibi fundit opus; vitamque perennem  
Appetit una Fides, præparat unus Amor.

*Equestrem se agit.*

*E P I G R A M M A.*

Ars non immerito formam conflavit equestrem;  
Namque per immensas gloria parta vias.

*Ex duriori metallo conflatur.*

*E P I G R A M M A.*

Qui mortem evincit, vincet quoque temporis iras:  
Tempora confument; Ille superstes erit.

*Armatus se offert.*

*E P I G R A M M A.*

Bella paras? non hostis erit: Natura Gigantes  
Reddat, ut invitent arma movere Jovem.

*Ma-*



*Manu levâ habenas, & dexterâ sustinet sceptrum.*

*E P I G R A M M A.*

Cur sumit sceptrum manus altera, & altera habenas?  
Imperium illa notat; dirigit ista viros.

*Maria prospicit.*

*E P I G R A M M A.*

Cum terrâ insistens, vultu se vertit in undas,  
Illius imperiis Mundus uterque subest.

*In publico panditur.*

*E P I G R A M M A.*

Lusyadum complexa Forum stat Regis Imago:  
Sic facilis populo providet ille suo.

*Præsens celebrationem exornat.*

*E P I G R A M M A.*

Vivaces præsens REX providus evibrat ignes;  
Ut citò vitales sumat Imago vices.

*POMBEALENSIS MARCHIO intime fidelitatis  
Primarius Minister sociatur.*

*E P I G R A M M A.*

Insequitur Regem fidelis Imago Ministri:  
Una fides, unus spiritus, unus amor.



*Circa Operis miraculum.*

## E P I G R A M M A.

Pyramidum inflatos submitte, o Nile, tumores:  
 Culmina nec mittat Turris in astra Pharus:  
 Exhaustos ne ferat Babylon operosa labores:  
 Et tacitas reprimant Templa, Diana, moras:  
 Mausoli vigeant monumenta nec ulla superbi:  
 Teque Æthræa potens, magne Colosse, premat:  
 Effigies potius tumidos nec Olympica fumos,  
 Phydico quamquam facta labore, bibat.  
 Clarius extat Opus meliori ex ære paratum,  
 Ingeniique decus, maior & artis amor.  
 Altius assurgit, seque inde superbius astris  
 Inferit, & toto vertice pandit iter.  
 Effigiem Augustus sumit JOSEPHUS Equestrum,  
 Phæbi instar radios spargit, & ille suos.  
 Tanto operi cedant antiqua miracula Mundi:  
 Nunc novus insurgit, solus & Orbis Honos.



*Depingitur Quercus sub Jovis effigie, sub hoc lemmate:*  
Quercus amica Jovi.

*E M B L E M A.*

Quercus amica Jovi ad Cœlos sua brachia tendit;  
Et viget in terris Quercus amica Jovi.  
Quercus amica Jovi superis fulcitur in armis;  
Fulgura nec metuit Quercus amica Jovi.  
Quercus amica Jovi; sic est CARVALIUS JOSEPH;  
Utraque & utrique est Quercus amica Jovi.  
Quercus amica Jovi sequitur bene Numinis aras;  
Sic comes est nostro Quercus amica Jovi.  
Quercus amica Jovi sedenim defenditur; alta  
Defendit Regnum Quercus amica Jovi.

*Cecinit*

*Josephus Antonius de Sepulveda Gomes & Araujus Babiensis:*